THERAPIA PVRPVRAE RECEPTIORI TVTIOR SOLIDIORQVE.

QVAM
CONSENSV AMPLISSIMI SENATVS
ET
ANNVENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA
PRO
SVSCIPIENDA PROFESSIONE EXTRAORDINARIA
PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT

DAVIDES MAVCHART,
MEDICINAE DOCTOR,
ILLVSTR. STIPEND. DVC. ET SEMINAR. BEBENHVS. MEDICVS,
CIVITAT. TVBING. EIVSDEMQVE ET BEBENHVS.
PRAEFECTVRAE PHYSICVS ORDINARIVS,
RESPONDENTE
ALBRECHT. FRIDER. FAVLHABER,
MED. CANDIDATO,

DIE SEPTEMB. MDCCLXII.



TVBINGAE
LITTERIS ERHARDIANIS.



PRAEFAMEN.

Leges academicæ poſtulant, ut ſpecimen edam inaugurale pro auſpicando munere Profeſſoris extraordinarii, SERENISSIMI noſtri DVCIS clementia mihi collato.

De *themate* e diviti rerum medicarum penu ſeligendo ſollicito mihi ſubiit *novior*, *tutior* æque ac *ſolidior purpuræ*, morbo tam frequenti atque ancipiti, *medendi methodus*, digna omnino, quæ hac occaſione publicæ Eruditorum disquiſitioni ſubjiciatur. Equidem me non latet, tot jam de purpura lucem aſpexiſſe ſcripta, ut videri poſſit, crambem hic centies coctam recoqui. At enim vero qui de ea, quam propoſiturus ſum, methodo vel aliquid, vel quod recentioribus in hac re experientiis condignum



esset, enucleatius proposuerit, equidem novi neminem. Neque vero *methodum* hic publicandam *novam* novaturiendi studio dico moliorve solo, hoc nomine in publicum protrudere. Quin imo si quis antiquitatis usque studiosus existeret, ut vel ipsa novitatis vox illum offendere possit, illi multum repugnabo non ego. Modo, quam in usus publicos producere constitui, purpuræ therapiam certam, tutam, & receptiori certiorem, tutiorem, solidioremque esse haud neget, aut, quam neget, prius ipse tentet & casta se convinci patiatur experientia. Planissimæ certe tritissimæque omnibusque facile obviæ experientiæ clinicæ praxesque medicæ, æque ac theoriæ physiologicæ, anatomicæ ac pathologicæ recentiores non solum verum etiam veteres & vetustissimæ adeo, quam commendabo, purpuræ methodum abunde confirmant. *Diuretica* illa est, vel si mavis, *diapnoico - diuretica*. Diuretica autem fuerunt remedia diætetica, pharmacevtica & chirurgica, quæ ab Hippocratis ad nostram usque ætatem omnibus aliis tutiora atque efficaciora purpuræ tam præcavendæ quam curandæ subsidia comperta sunt, ut mirum sane, ad tantam theoriæ & experientiæ lucem non citius magisque innotuisse cultamque fuisse hanc purpuræ medendi methodum. Atat excipis, L. B. sin itaque cognitus fuit diureticorum in purpura usus, sin usque notus fuit felix horum in illa eventus, ex concessis nil novi erit in hac purpuræ therapia. Diuretica cognita erant, respondeo, quia usurpata, sed neutiquam qua talia, verum alio nomine, alio fine. Id quod vel

soli-

soli vulgo sic dicti *pulveres antispasmodici*, nominetenus potius tales, & reapse diuretici, quia salsi, maxime quia nitrosi, demonstrant. Taceo *vesicatoria*, utpote fortissima diuretica, & consimilia. Hunc eorum effectum si ob oculos habuissent, profecto dudum apertius explicuissent, adplicuissentque hanc usitatæ præferendam purpuræ therapiam. Verum aut surdus sum, aut altum apud alios de hac est silentium. Neque tamen eapropter ego hic is esse volo, qui primus solusque hæc talia eloquitur. Ingratissimus etenim essem, nisi ingenue faterer, me hanc medendi rationem debere jucundissima affinitatis necessitudine mihi conjunctissimo Domino Doctori SIGWART, spectatissimo p. t. Facult. Med. Decano ejusdemque Seniori venerando. Num is primus solusve hujus medelæ sit Autor, equidem nescio, quia id ipsemet a me interrogatus nescit, prope dixerim, nescire vult. Hoc saltim scio, illum jam plus tria lustra Stuttgardiæ posteaque nos inter in amplissima sua Praxi hanc adoptasse semperque comprobatam habuisse medendi methodum, quam præterea in suis prælectionibus practicis operose inculcavit commendavitque Auditoribus suis. Memini illum in partes hujus veritatis traxisse egregie consentientem ERNEST. IER. NEVFELDIVM, qui in Physiologia sua eruditissima (quis vero in hac hæc talia quæsiverit?) hanc utut obiter & in transcursu tantum attingit purpuræ therapiam, atque ingenue fatetur se antea in purpuræ curatione infeliciorem, illius demum manuductione feliciorem redditum fuisse. Operæ pretium est omnino, ut



integrum tanti viri testimonium ex ipsius Physiologia ad pathologico-therapevticum forum transferamus, præsertim cum ibi illud vix quis quæsiverit. Ita vero laudatus vir *in Specimine I. Physico-medico de secretione humorum in genere ejusque præfatione: Materia morbi nequit pelli de corpore, nisi id fiat ope secretionis. Qui igitur recte mederi vult morbis, debet non solum naturam materiæ cognoscere expellendæ, verum etiam scire, per quænam organa secretoria, quibusnam remediis expellere, h. e. debet secretionis intelligere mechanismum. Sit enim materia peccans salinæ indolis, in latice aquoso hærens, morbus ex ea natus potius augetur quam minuitur, quando Medicus per sudorifera, purgantia &c. eam evacuare intendit. Scopum melius obtinebit, quando per renes eam expellere conatur materiam, crassiores enim ipsius partes per eos facilius transire possunt. Hujus vero necessitatem medicus vix quidem intelligit, nisi sciat, quænam sanguinis partes ex propria natura facilius vasa renalia transeant. Ex harum natura cognita prius ipsi, indicationem si format. Difficile vero hanc potest explere, nisi leges secretionis notas habeat atque perspectas, simul. Potest enim copia liquidi secernendi in glandulis renalibus multis modis augeri. Non solum enim augetur secretio urinæ, dum, eadem manente constitutione ipsius sanguinis, sola vasa renalia relaxantur, vel sanguinis partes majores in minores solvuntur, verum etiam dum acre temperatur, atque stimulantium ope vasa in citatiores contractiones cientur, & major copia liquidi eodem tempore per vasa renalia transprimitur. Hæc vero*

omnia

omnia facile determinantur ex iis legibus secundum quas liquida nostri corporis per vasa minora moventur, quas medicus omnino intelligere debet, ut secretionem unius liquidi augere, alterius minuere valeat, prout causa ipsius morbi id ita requirat. Exemplo res clarior evadit. Purpura vesicularis, nobis epidemica, habet causam materialem in sanguine, propriæ naturæ instinctu per emunctoria cutis expellenda. Licet vero sæpe hic quidem morbus remediis tollatur diaphoreticis, sancte tamen adfirmare possum, sæpissime necesse fuisse, materialem morbi causam ad renalia emunctoria derivare, eamque de corpore expellere. Sit enim corpus, ubi sudoris defectus impediat purpuræ eruptionem, uti quidem multoties id mihi observare contigit. Quando deficit sudor, signum hoc est, materiam peccantem libere ultimas, quæ in cute externa locantur, vasorum angustias transire non posse. Causa transitus impediti est, vel angustia vasis, vel moles adaucta materiæ transeuntis. Utrumque parit obstructionem. Prior causa, quo modo tollenda, nunc quidem determinare non expedit. Altera vero, præter diluitionem, frictionemque, revulsione versus renum emunctoria, sublata sæpe. Regioni itaque lumbari, atque pubis cataplasmata emollientia superdari jubeo, regimen prohibeo diaphoreticum, atque interne salia media sumenda, præscribo. Cataplasmatibus resistentia minuitur in vasis renalibus, salibus vero, acrimonia sanguinis non solum obtunditur, verum etiam moleculæ concretæ ab mutuo contactu solvuntur, & vascula arteriosa idcirco, ad citatiorem motum irritata, laticem aquosum hac materia inbutum, majori copia per

locum

locum minus resistentem, nimirum vasa renalia, pellunt, h. e. diuresin augent. Hoc vero dum fit, inpetus humorum versus cutis emunctoria minuitur, adeoque vascula subcutatanea proprio elatere inpactam retro urgent materiam in vasa majora, in his vero attenuatur illa atque apta evadit circulando per vascula priora nunc quidem depleta atque aperta. Hinc excretio purpuracei exanthematis obtinetur, placidusque erumpit sudor. Nisi habuissem cognitas mechanicas secretionis humorum leges, in hanc forte non incidissem medendi methodum. Nec quidem reticendum puto, periisse nonnullos, qui hoc laborarunt morbo, antequam cogitare licuit mihi de hac methodo. Facile quoque ratio intelligitur; dum enim vi cordis propellente sanguinem, materia morbi in vasis cutaneis augetur, atque adcumulatur, obstructio pertinacior fit. Materia morbi tandem versus præcordia pulsa, magnam cordi fert resistentiam, ipsiusque exstinguit motum. Adcedit, quod vascula encephali, sanguine & succis nimis repleta atque distenta, separationem liquidi vitalis, ceu caussam motus muscularis, inpediant, ipsæque inpuritates, acrimonia sua, tenerrima cerebri vascula destruant, mortemque creent. Ab eo igitur tempore, quo hanc methodum fui expertus, semper soleo primos dies morbi exhibere diuretica; his enim materiam morbi minui, eruptionemque facilitari, crebra me docuit experientia. Hæc eum in finem adducere volui, ut L. B. intelligat, me non pro eo haberi velle, qui primus solusve de hac materia scripserit aliquid. Nil enim magis invidiosum mihi esse videtur, quam alienis superbire plumis, quam insolentiam plane repudiat ingenuum

veri-

veritatis ſtudium. Quod intendo, hoc tamen tantum eſt. Detectam cultamque a laudatis Duumviris theoretico-practicam doctrinam litteris nondum debite tractatam eſſe conſtat. Dignam illam eſſe, quæ publici juris fiat, meliusque exploretur, nemo ibit inficias. Publicabo illam, & publico ſubjiciam Eruditorum examini. Id facere potero eo majori jure, cum non modo in ampliſſima venerandi Domini AFFINIS mei praxi, cui olim intereſſe mihi licuit, ſed & poſtea in caſtris, ubi proprio Marte cum ſanitatis hoſtibus mihi pugnandum erat, ubi per quinquennium Medici caſtrenſis munere & onere premebar, de feliciſſimo hujus methodi eventu ſatis ſuperque certior factus, propria experientia confirmatum habeam, quod in publicos uſus hic protrudere allaboro. Accedit prælibatis inſtituti rationibus hæc denique: Nullus fere morbus, nullum prope morborum ſymptoma noſtros intra muros tam frequens eſſe obſervatur, quam purpuraceum exanthema, ut parum abſit, quin endemium nobis dici poſſit hoc malum. Quam igitur felices ſumus, ſi nulla alia methodo, quam indicanda, felicius præcaveri & curari poteſt hoc malum, ſi, addo, nullus fere morbus curatu adeo facilis, quam purpura methodo illa. Nullum proinde officio meo convenientius, nullum inter nos excuſſu illo dignius thema eſſe exiſtimavi. Neutiquam vero plenam heic quis exſpectet de purpura tractationem. Ea ſaltim nunc attingere conſultum erit, quæ ad indicatum ſcopum præſentem aliquid conferre poterunt. Dirigat ſummus ſalutis noſtræ Auctor qualescunque conatus noſtros in ſui nominis



gloriam, in ægrotorum miserorum solamen, & in artis salutaris incrementa.

*** *** ***

§. I.

Purpuræ varia est acceptio, justo certe latior, qua petechias & febres petechiales comprehendunt. NEVCRANZIVS integrum de purpura conscripsit tractatum, qui vero præter *petechias* descriptas nil continet. LAZARVS RIVERIVS in *operibus medicis universis* pariter maculas purpureas & febres purpuratas pro petechiis & febribus venditat petechialibus, has ita describens: *Dantur maculæ purpureæ, quæ in toto corpore apparent, ac præcipue in lumbis, pectore & dorso, morsibus pulicum plerumque similes, quæ peticulæ seu petechiæ ab Italis vulgo nominantur, & febres, hoc comitatæ symptomate, purpuratæ seu petechiales nominantur.* Distinguit autem ille maculas purpureas ab exanthematibus purpureis, quæ exanthemata cum nostris certe conveniunt, inquiens in *Prax. medic.* Lib. XVII. *Exanthemata a maculis purpureis differunt ex eo, quod maculæ ad qualitates mutatas ipsius cutis, cum nullo modo emineant, exanthemata vero ad tumorum genera referantur. Sunt granis milii similima, aliquando rubra, aliquando alba.*

§. II.

Mitto litem illam, utrum purpura pro novo morbo sit habenda, an vero veteribus jamjam cognita fuerit.

Ut

Ut causas morborum, ita morbos quoque a primævis derivandos esse existimo. Tam novum autem esse hoc mali genus, ac vulgo creditur, certe erroneum est. In *Epidem. Hippocr.* adeo illius vestigia reperiri Auctor est ZACVTVS LVSIT. *Lib. II. Hist. med.* ubi præter illa κεγχρώδεα ἰξηχίσματα, sive *aspredines miliaceas*, quas HIPPOCRATES in *Epidem Lib. II. S. III.* ἐξανθήματα μικρὰ appellabat, etiam febres malignas & miliares non secus, ac puncticulares, GRAECIS antiquioribus cognitas fuisse ostendere annisus est. Neque hic multum dispiciendum erit, sitne purpura eadem cum CELSI *aspredine*, aut PLINII *uredine*, aut VEGETII & APVLEII *urigine?* Vid. LOCHNER *Ephem. germ. L. 6. obs. 96.*

§. III.

Purpura de cutis morborum familia est, & peculiares ipsius constituit efflorescentias. Exanthemata technice dicuntur ejusmodi eruptiones cutaneæ. Purpura itaque vi proximi generis sui exanthema est. Differentiam specificam hujus morbi a quantitate, figura, ambituque hujus exanthematis haud male petunt Pathologi. Sunt enim pustulæ, quantitate sua grana milii non superantes, unde febris miliaris nonnullis dicitur, figura sua in apices extenuatæ, & ambitu suo universam corporis peripheriam occupantes. Reliqua discrimina vel superflua censentur in hac purpuræ idea, vel æquivoca sunt. Adæquatio enim idearum totalium non defectum modo, sed & excessum notionum partialium respuit.



§. IV.

A purpura proinde differt febris purpuracea, quæ inde ſuum accipit nomen, tantoque magis ab illa diſtinguenda eſt, cum conſtet ab experientia, purpuram etiam exiſtere ſine febre, atque præterea expediat in ipſa praxi hoc ſolicite obſervare diſcrimen, & diſpicere, utrum hæc illius ſit cauſa, an effectus; quin methodo noſtra haud raro liceat purpuram cum febre mutare in purpuram ſine febre. Cujus rei luculentiſſimum pridie mihi recenſuit, cui affinitatis vinculo devinctus ſum, ſpectatiſſimus Dominus Decanus, exemplum in optimæ ſpei filio REVERENDISSIMI DOMINI NOSTRI CANCELLARII, cui febre peracuta correpto præſagiebat purpuram, ideoque antifebrilibus miſcebat antipurpuracea heic commendanda. Erumpebant puſtulæ purpuraceæ confeſtim quidem & tanto agmine, ut in collo, dorſo & pectore puſtulæ puſtulis inſidere viderentur. Emicabant deinde in artubus, ſed parciores; pulſus ab initio celerrimus & frequentiſſimus redibat in naturalem, tum ſine febre purpura obſitus ab omnibus periculoſis ſymptomatibus immunis decumbebat, tandemque lætiori ſanitati reſtituebatur, nullis mali reliquiis relictis.

§. V.

Purpura proinde utiliter recteque dividitur in duas ſpecies; purpuram nempe chronicam & acutam. Quæ poſterior demum denuo ſubdividenda eſt in benignam & malignam. Namque chronica omnis benigna eſt, licet

non

non omnis benigna sit chronica, quemadmodum nec omnis acuta mox maligna existit. Definitiones harum purpuræ specierum ex indicatis varietatis earum fundamentis facile elucescunt. Purpura nempe chronica ea audit, quæ sine febre existit: acuta, quæ febrem conjunctam habet. Purpura benigna vero est purpura acuta non putredinosa, maligna contra acuta putredinosa.

§. VI.

A colore purpura alias dividitur in rubram & albam. Divisio vero in symptomaticam & idiopathicam aut nullo sano gaudet sensu, aut erronea est. Indicatas vero divisiones maxime utiles esse & necessarias, tam certum est, quam certum, longe aliam cujusvis speciei semper esse curationem. Quantum, quæso, ut hoc unicum addam, discrimen infert in praxi benigna & maligna, in quarum priori sanguis e vena missus observatur spissus, qui contra in posteriori deprehenditur attenuatus & quasi fusus.

§. VII.

Ex indicatis purpuraceum exanthema facile distinguitur a quovis alio. Ab eruptione scarlatina ex eo dignoscitur, quod hæc maculas seu potius parvas pustulas, mox latescentes & intense rubras, maculas latiores prope confluentes exhibeat; a petechiali, quod hæc minoris sit ambitus, maculisque a morsu pulicum relictis haud absimilis; a morbillosa, quod hæc exanthemata la-

 

tiora ſint & elatiora; ab urticata, quod in hac exanthemata pariter extantiora latioraque minusque æquabilia. FRIDER. HOFFMANN in *Syſtem. Medic. ration. T. IV. p.* 92. differentiam purpuræ rubræ & albæ non ex colore tantum, ſed ex varia conformatione depromit, rubram habere, dicens, veſiculas magis vel minus latas, quæ liquorem contineant; albam vero nullas habere veſiculas, ſed nodulos profunde in cute hærentes, milii figuram referentes, ad tactum aſperos, humore ſpiſſiuſculo quaſi purulento infarctos.

§. VIII.

Differt etiam quodammodo purpura alba, quam nonnulli inde dividunt in ſtrictius dictam, & pellucidam ſeu cryſtallinam. Verum levioris momenti eſt hoc diſcrimen. Quod pariter agnovit Excellentiſſimus IO. GE. GMELIN, etiamnum poſt fata colendus, in *Diſſert. de febre miliari*, qui operæ pretium non eſſe reputat, albam a pellucida diſtinguere, cum ratione decurſus morbi exigua ſit differentia.

§. IX.

Tantum pro fine noſtro de hujus mali notione & varietate. Noſologica hæc excipiant quædam ætiologica, ſymptomatologica, & ſemiologica, tam dignoſin quam prognoſin concernentia.

§. X.

Cauſas tollere eſt morbos curare. In purpuræ itaque cauſas nobis inquirendum eſt, ſi quidem felices manus

nus auxiliatrices ipsi applicare velimus. Tantum non omnes accusant materiam aliquam inquinantem, irritantem, fermentescentem. B. ALEX. CAMERARIVS in *Diss. de purpura alba majori an.* 1723. *Tubingæ* habita scribit: *Speciem hujus objecti naturæ humanæ adversi & noxii exprimere, cujus originis sit, mineralis, vegetabilis, aut animalis, seu differentiam specificam pro diversitate exanthematum determinare, quum suam hîc ignorantiam fateantur, qui magis sapere videntur, quis a nobis postulabit?*

§. XI.

Sed hic, quod sæpius alibi accidit, naturæ mysteria quærunt, ubi nulla sunt, & ubi sunt, omnia plana & explorata esse reputant. Phænomena macrocosmi & microcosmi persæpe, concedo, abstrusa sunt, sæpe occulta plane. Phænomenologia nostra, porro largior, in causarum & causalitatum (veniam petit terminus, utpote nisi bene latinus, philosophicus tamen & technicus) indagine ad ultima rerum principia ascendere nequit, neque in toto suo cum universo nexu ambituque comprehendere potest, adhibito tamen diligentiori scrutinio plura, ac vulgo creditur, capit. Quin mireris, aquam multis sæpe hærere in rebus sponte fluentibus & facile obviis. Hinc est, quod in ætiologiis nostris quoque toties peculiaria ignota fermenta, miasmata, venena, tam in morborum causis atque effectibus, quam in medicamentorum operationibus, nobis imperscrutabilia admittant accusentque. Specifica illa dicunt. Ecquid, quæso, illa aliud, nisi qualitates



tates occultæ? Ecquid hæ ad nos? Fac nos ſæpius latere cauſas primas, ultimasve & remotiſſimas: modo videamus propinquiores. Pone & has & illas nos plane fugere a priori, modo eas a poſteriori attingamus.

§. XII.

Sed propius & applicatius ad rem præſentem. Quid, quæſo, purpuræ cauſa intellectu dictuque facilius? Quis adeo rudis in phyſiologicis & anatomicis, quis tam cœcus, quin videat, cauſam hujus mali materialem eſſe laticem ſeroſo-lymphaticum, formalem ejus in perigraphia corporis congeſtionem, ſtagnationem & retentionem. Ibi nos id docet avtopſia ad lectos ægrotorum. Huc nos ducit chemicis & anatomicis principiis ſuffulta Phyſiologia. Seri & lymphæ indoles, craſis, ad corruptionem proclivitas ex Chemia anthropologica nota eſt. Ejusdem viæ ex Anatome cognitæ hodie ſunt. Inde aberrans in aliena loca defertur, huc delatus corruptionem concipit, vel, quod melius, acrem quidem, ſed non putredinoſam, vel, quod peſſimum, putredinoſam plane. Hinc explicatu faciles evenientes inde utrinque effectus, ad ultimum usque, non modo triſtem, mortem puta, ſed & haud raro ad exoptatum finem, firmiorem ſcilicet ſanitatem.

§. XIII.

At enimvero non tantum retro, ſed & antrorſum euntibus planior parata eſt via, ætiologica nempe. Quî

fiat,

fiat, si quæris, ut ad hæc loca deferatur, in iis accumuletur purpuræ materia. Id efficit non purus putus quidem *Mechanismus*, neque *Stahlianismus*, sed divinioribus legibus constitutus *organismus* corporis nostri organici. Atat hoc ipsum est, quod nos maxime latet, regeris. Ad rem præsentem traho responsionem. Quem veri nominis Medicum hodie amplius latent seri & lymphæ viæ & utriusque per illas secretiones secretorumque horum humorum itinera, receptacula ductusque tam, quod retinendum est novisque usibus impendendum revehentes, quam quod vel abundat vel qualitate peccat forâs ejicientes. Quem fugit amplius dictarum viarum perpetuus in sanis ægrisque consensus. Aucto urinæ fluxu imminui, imminuto augeri perspirabilem laticem, hoc imminuto augeri & aucto pariter imminui illum, atque horum motuum directiones arti medicæ quoque relictas esse, a priori æque ac a posteriori hodie evictum est & cognitum adeo inferioris subsellii Physicis & Medicis.

§. XIV.

Inde (§. XIII.) consequitur omnino, purpuræ materiam ad urinæ vias dirigi posse, & ad artis nostræ regulas actu dirigi quam felicissime. Ecce L. B. summam causæ, quam agimus, ecce ratione & experientia stabilitum methodi, quam commendamus, fundamentum.



§. XV.

Ex præstructis (§. XII — XIV.) planis omnibus ac facile obviis principiis facile porro dijudicari possunt variæ variorum de purpura sententiæ. Ita conciliari potest eorum sententia, qui purpuræ indolem esse dicunt salino-sulphuream, quam odore seu potius fœtore, quem spargit, prodere dicunt. Inde explicari potest, quod asserit HAMILTON, qui salino-sulphuream materiam negat, eique acidam acrimoniam substituit, quam ex urina decolore sanorumque similiore, ejusque largiori excretione tenui, pallida, ex ptyalismo sæpius occurrente, ex vesiculis sero plenis, ex calore non adeo intenso, ex proficuo absorbentium & noxio acidorum medicamentorum usu, ex tardiori horum exanthematum præ aliis expulsione, ex sanguine coagulato in subjectis hac febre defunctis ope sectionis reperto, conjectat.

§. XVI.

Neque minus ex præcedentibus intelligitur theoria FRIDERICI HOFFMANNI in *Systém. Medic. ration. T. IV.* qui utramque assumit qualitatem peccantem, salino-sulphuream pro causa purpuræ rubræ venditat, acidam vero causæ purpuræ albæ assignat. Id quod HAMILTON ipse innuere videtur in *tractatu de febre miliari L. III. p. 53.* inquiens, *ubi pustulæ rubræ miliaribus sunt interspersæ, omnia symptomata febrem ardentem magis ostendunt*, in eodem vero capite dissertis verbis pronunciat, *in febre ardente sanguinem particulis salino-sulphureis impraegnari.*

§. XVII.

§. XVII.

Febris aut caufa purpuræ exiftit, aut hujus effectus eft. Utriusque phænomeni cognitio ætiologica admodum evidens eft. Febris ut qualiacunque fluida exagitat, ita & ferofo - lymphaticum humorem concitat, turbat, ad aliena loca urget, fic proinde a depofito abundanti & ftagnanti fluido in peripheria cutis puftulæ formantur purpuraceæ. Quando contra febris purpuræ effectus eft, res ita fe habet: Vel retrocedit materia purpuracea, atque in maffam fanguineam fufcepta hanc inficit, ejus crafin turbat, ficque motum inteftinum concitat, præterea fluxu fanguinis ad omnes corporis partes unà delata ubique opplet, premit, irritat, motumque progreffivum accelerat, vel non abforpta extra vafa fanguifera ftagnans hæc iterum laceffit, gravat, comprimit, quibus modis omnibus partes fenfiles molefte folicitantur, fluxus cruoris impeditur, impeditus in progreffu fuo fanguis retro fortius urgetur, unde tota maffa in motum concitatur, pulfus augetur, redditur celer & frequens, nonnunquam infimul plenus, tenfus, durus.

§. XVIII.

Reliqua jam planiora fluunt. Plenitudines, fpiffitudines & dyscrafiæ ut communiores plurimorum morborum iterum morbofæ exiftunt caufæ, ita huic præfertim malo inferendo præcipue favent. Quicquid proinde opplet, infarcit, obftruit, denfat, commovet, ferofoque



lymphaticam diathesin infert, purpuræ causa existit remotior. Huc ergo referenda sunt: otiosa vitæ genera maxime sub lautiore diæta, alimenta acria, aromatica, crassa, vel etiam tenuissima sed justo plus nutrientia, potulenta calidiora, spirituosa, sulphurea, non bene fermentata nec defœcata, vel etiam purissimorum justo largior usus, abusus; potus insufficiens; nimia corporis exercitia.

§. XIX.

His præcipue addendæ sunt suppressiones omnis generis excretionum. Suppressa in sexu sequiori menstrua ut multorum malorum lernam constituunt, ita producendis efflorescentiis amplam largiuntur occasionem. Sanguis enim secundum WILLISIUM in *operibus medic. & physic. L. XVI. p. m.* 182. a menstruis diu suppressis non modo turgescit, ejusque partes sulphureæ nimis evectæ incendio aptiores redduntur, verum insuper cruoris massa particulis valde fermentativis imbuitur, adeo ut, velut miasmate venenato tacta, effervescens statim versus putredinem & inordinationes corruptivas ipsa disponatur. Eadem ludunt dramata suppressa in fœminis lochia, vel saltim justo parcius manantia. Sanguis ad gravidarum uterum advectus non omnis in fœtus alimentum consumitur, hinc ob abundantem sanguinem uteri cellulosa & vasculosa compages expanditur, fit congestio, sanguis tardius ibi movetur & difficilius, crassus evadit & fœculentus, qui tandem excluso partu, singula si rite succedant

dant, lochiorum fluxu evacuatur. Si itaque hic cruor aut non ſufficienter aut plane non eliminatur, inverſo motu in vaſa majora & viſcera nobiliora tranſit & reſorbetur, magnamque ſero & lymphæ infert anomaliam.

§. XX.

Tranſpiratio inſenſibilis æque ac ſudores ſufflaminati quam plurimis non modo favent cutis defœdationibus producendis, ſed exanthematibus etiam miliaribus fomitem præbent. Nimii pariter ſudores, cum partes lymphaticas & ſeroſas nimis abſumant, partes temperatas exhauriant, ut acriores magis in apricum prodeant, hujus mali exiſtunt cauſæ. Alvus, præſertim in febribus acutis, diutius cohibita, quatenus excrementitii ſucci, in inteſtinorum latebris recluſi, in humorum maſſam recipiuntur, ſuum quoque confert ſymbolum. Producunt porro purpuram variæ aëris conſtitutiones, aër inprimis nebuloſus, pluvioſus, effluviis putridis & noxiis refertus exhalationibus, nec minus ſubitaneæ aêris viciſſitudines. Vigilias diu protractas nec non ſomnum nimium, animi pathemata, in ſubjectis præſertim obvia ſenſibilioribus, purpuram procreare, vero verius eſt. Nec nimium ſanguinis ſub abortu & menſium exceſſu profluvium a cauſis remotioribus excludendum eſt. Etenim a nimia ſanguinis jactura ſolidorum robur valde debilitatur, hoc labefactato lentius progreditur fluidorum curſus, ſe- & excretiones non legitime ſuccedunt; hinc cruditates in corpore & ſordes accumulantur. Gravidæ deni-

 

que teste FRIDERICO HOFFMANNO in *System. Medic. ration. T. IV. p. 105.* quæ sub sedentario vitæ genere neque medio gestationis tempore, neque ultimis mensibus nimiam vasorum plenitudinem sanguinis detractione minuunt, in puerperio constitutæ puerperæ purpurea hac labe infestantur.

§. XXI.

Suppressionem diarrhoeæ, coryzæ, ulcerum fœtidorum diu manantium, adstringentium abusu improvide cohibitum fluorem album, retropulsionem purpuræ chronicæ, scabiei, tineæ, secuta esse exanthemata hæc, observare est. Sub instante patu medicamenta pellentia fortiora, volatilia, adhibita sæpe sæpius purpuram post se traxerunt.

§. XXII.

Usum quin potius abusum Coffee ad purpuram disponere, multi contendunt, adserentes, humorum massam ab hoc decocto intensius commoveri, & sudorem impelli, adeoque sulphure illo empyrevmatico, quo fabas Coffee tostas pollere dicunt, purpuram ingenerari. FRIDER. HOFFMANN reputat, ideo nocere potum Coffee, quoniam ab hoc calide assumto potu, dum sudorem pellat, alvus supprimatur, ut inde calore, quem excitat, præsertim in illis corporibus, quæ multis scatent impuritatibus, sordes biliosæ salino-sulphureæ magis attenuentur, atque per vasa lactea & lymphatica ad massam humorum defe-

deferantur. E contrario IO. GE. GMELIN in ſupra laudata *Diſſ. de febre miliari* potum hunc tantopere non damnat, cum præter gummoſas quasdam & olei empyrevmatici ſubtiliores partes pauciſſimas infuſum Coffee nil aliud ingrediatur, ideoque mala, quæ inde naſcantur, incongruæ præparationi aliisque abuſibus adſcribit.

§. XXIII.

Denique cauſis procatarcticis notabilis alicujus viſceris inflammatio eo magis annumeranda venit, quod ſecundum WERLHOFIUM in *obſervat. de febr. p. m.* 293. ſaltim læſioni tendinis ab infelici venæſectione, atque alii a læſione inteſtini recti per ſiphonem clyſmaticum inepte intruſum febris miliaris ſupervenerit. Abuſum camphoræ producere exanthemata, plus una vice expertus ſum. Plures adhuc enumerari poſſent cauſæ, ſed, ne limites transgrediar, ſufficiat allegaſſe præcipuas.

§. XXIV.

Conſideratis pauliſper iis, quæ generationi hujus mali anſam præbere poſſunt, ad ſigna attendamus, ex quibus hunc morbum dijudicare valeamus. In pathologicis ſigna duplicis ſunt generis, alia nempe primaria, quæ huic vel illi morbo ſola præciſe competunt, alia ſecundaria, quæ non in hunc vel illum morbum ſola cadunt, ſed multis aliis ſunt communia.



§. XXV.

Signa primaria indicata (§. III.) purpuræ differentia ſpecifica jamjam manifeſtat. Communiora & ſecundaria imminentis & præſentis purpuræ fere ſunt ſequentia: Præcedit levis horripilatio, quam mox excipit corporis exæſtuatio, interdum non adeo vehemens, aliquando frigus & æſtus alternant, aliquando calor eſt valde intenſus; facies admodum rubicunda comparet, oculi ſplendent, ſcintillant, caput turbatur; inquieti ſunt ægri, accedunt vigiliæ, vix unam alteramve horam absque interruptione dormiunt, ſomnus eſt laborioſus, non reficiens, ſed delaſſans potius; pulſus & urina mirum variant, mox frequens eſt & fortis, durus, contractus, mox tardus & debilis, urina nunc ſpiſſa & turbida, nunc clara imo aquæ inſtar tenuis apparet; ſudores ſæpe nulli, ſæpe colliquativi; alvus utplurimum conſtipata eſt, nonnunquam ſuo reſpondet officio, interdum ſupervenit diarrhœa. Horum vero exanthematum mox ſubſecuturam eruptionem præciſe præſagiunt oppreſſio pectoris, tuſſicula ſicca, reſpiratio difficilis, anxia & profunda ſuſpiria, ad lipothymiam usque ſæpe affligentia, deliria, æſtus & compunctorius in dorſo ſenſus, ardor & pruritus in cute. Hæc ſymptomata tamdiu protrahuntur, donec ſub inſigni pruritu & colore cutis in rubro-purpureum vergente erumpant hæc exanthemata numeroſiſſima, modo alba, modo rubra, modo utraque inter ſe permixta, primum in collo & pectore, deinceps in dorſo, abdomine, brachiis, pedibus conſpicua.

§. XXVI.

§. XXVI.

Accidit autem eruptio hæc diverſis temporibus, ut vix certus, ſtatus, ac determinatus ipſi aſſignari poſſit terminus. Inde eſt, quod Autores pariter in definiendo eruptionis tempore non conveniunt. HAMILTON decimo vel undecimo die a principio plerumque pullulare puſtulas, HOFFMANN quarto vel quinto ab invaſionis die, alii alio has efflorescentias emicare dicunt.

§. XXVII.

Comparentibus nunc in ſumma cute exanthematibus graviora ante pathemata mitigantur. Pulſus, licet celeritatem pertinacius nonnunquam ſervet, durus tamen antea tenſusque mollior evadit, animo vigor dejectus redit, cutis arida madeſcit, ſudores antea colliquativi nunc parciores fiunt, alvus obſtructa laxatur, veſiculæ ſenſim ſenſimque explicantur, urina magis ſaturata prodit, ſudoris odor ſingularis & huic exanthemati proprius magis ſeſe prodit; lochia in puerperis ſuppreſſa redeunt; nunc intra quatuor, nunc intra ſeptem, pluriumve dierum decurſum cum pruritu inſigni exanthemata diſparent, areſcunt, ſquamularum inſtar decidunt, cute & cuticula ſubſcabra manente, tumque ægri, vires ſenſim recipientes, priſtinam recuperant ſanitatem.

§. XXVIII.

Longe vero aliter ſe gerit purpura maligna. Etenim ſymptomata modo (§. 25. & 27.) recenſita non modo diutius perſiſtunt, ſed omnia ingraveſcunt ſymptomata. Vigiliæ, inquietudines animi & corporis augentur, reſpiratio fit difficilior, vires magis magisque proſternuntur.



Sequuntur deliria nunc continua nunc interrupta, tremunt artus. Vigilias excipit ominosa somnolentia, hanc lethargus denique. Urina, coloratior ante & crassior, mox tenuis & pallida evadens, diarrhoeæ excedentes, fere colliquativæ, sudores excedentes, deficiens omnis doloris sensus, pulsus præsertim debilis, tremulus, intermittens, certam malignitatem summumque inde pendens periculum vitæ ominantur.

§. XXIX.

Quod ad Prognosin heic sistendam attinet, tenendum est, tam insidiosam sæpius esse purpuram, ut vix aliquid certi de ejus constitutione & consecutione prænuntiari possit. Magna igitur Medico opus est circumspectione in præsagiendo eventu vel optato vel funesto. Salutis spem faciunt urinæ, quæ ab initio sature aureo colore tinctæ sensim sensimque turbantur, tandem secundo tertiove ab eruptione die copiosum deponunt sedimentum aut bolare, lateritium rubrum, aut, quod frequentius accidit, molle, album quasi farinosum. Melioris quoque indolis est, si ante & post exsiccationem erumpit sudor blandus, æqualis. Cessatio symptomatum sub diagnosi recensitorum post eruptionem exanthematum, atque febris remissio bona præbent indicia. Efflorescentiarum nimis languida eruptio, recessio vel retropulsio, nulla his retropulsis iterumque expulsis symptomatum inde natorum mitigatio, sane exoptatum haud spondent eventum, magis funestum vero prænuntiant, si firmissime intus obhærescente materia peccante interiora ardent, & extrema rigida strictura detenta copioso frigido sudore perfunduntur, aut si vicissim

ex-

extrema æſtuant, & in abdomine notabilis refrigerationis ſenſûs percipitur. Diarrhœa, urinæ copioſiores, tenues, nimia ſudoris profuſio, reſpiratio difficilis, tremor linguæ, ſubſultus tendinum, exanthemata modo comparentia modo diſparentia, major defectus virium, vigiliæ pertinaces, mala ominantur.

§. XXX.

Utrum vero alba rubrave periculoſior ſit, quærere hic fas eſt. Vulgo tantum non omnes Pathologi albam ſemper ominoſiorem pronuntiant. Contrarium vero loquitur experientia. Mea hic ſuperior autoritas hoc ſtabiliat aſſertum. Recentiſſimus fundamentorum pathologicorum atque therapevticorum ſtabilitor Cel IO. FRID. CARTHEVSERVS in ſuis *Patholog. & therapiæ fundamentis Tom. II. S. VII. C. VII. §. IV. p. m.* 648. ita hanc ediſſerit experientiam: *Febres purpuratæ frequentius quidem homines juniores, otioſos, laute viventes, plethoricos, temperamento ſanguineo & cholerico-ſanguineo, habitu corporis ſpongioſori præditos, fœminas itemque hyſtericas & puerperas invadunt, ſubinde nihilominus, præſertim ſi vernali, uti crebrius fieri ſolet, vel alio etiam tempore epidemice graſſantur, nulli ætati, ſexui, ac temperamento parcunt, ſed præſente eminentiori aëris vitio, ac valde ſimul adjuvante facili contagio, communem ſtragem edunt, ita tamen, ut purpura alba tunc temporis ſemper periculoſior magisque lethifera, quam rubra deprehendatur. Scio quidem, vulgo purpuram albam quovis tempore & apud quævis ſubjecta æſtimari deteriorem; at ſcio etiam, opinionem hanc experientiæ refragari. Nam ipſe plus ſimplici vice obſervavi, purpuram albam,*

 

bam, præfertim urticatam, adeo fuiffe mitem atque benignam, ut nullus plane periculi metus fubnafci potuerit.

§. XXXI.

Plura præmiffis (§. XXIX.) addi poffent femiologica, quæ vero ficco præteribo pede, utpote ab aliis & nominatim a FRIDER. HOFFMANNO & HAMILTON fufius defcripta.

§. XXXII.

Methodi purpuræ medendi rationem fupra (§. XIII.) dedimus, fupereft, ut, quomodo hæc adminiftranda fit, indicemus. *Diuretica* illa eft, adeoque ad peripheriam pellenti fortiusque diaphoreticæ & alexipharmacæ plane contraria, quæ quo nocentior, eo magis removenda eft. Haud difficulter intelligimus, diaphoretica, calida medicamenta, quatenus fanguinem exæftuant, & liquida majori velocitate verfus cutis peripheriam determinant, plus damni inferre quam emolumenti. Materia peccans firmiter impacta hæret vafis cutaneis, obturata funt hæc vafa. Quæcunque igitur obftructionem in vafis cutaneis augent, peccantem ibi accumulant materiam, majora inducunt incommoda. Jam vero diaphoretica calida medicamenta liquida majori vi verfus locum obftructum appellunt, hinc eorum, inter duo quafi prela oppofita prefforum, liquidiffima transibunt neceffario, crafliora manebunt, liquida, quæ fecundum fuam naturam in concretionem tendunt, fluiditate fic orbata majorem nancifcuntur cohæfionem, adeoque non poffunt non augere obftructionem. Tam fabulofum eft vulgare illud dicterium, venenum a corde de-

depellendum esse (man müsse das Gift vom Herzen treiben) ut in aliis morbis exanthematicis, ita in hoc maxime.

§. XXXIII.

Diuretica potius illis hactenus usitatis bezoardicis substituenda sunt, quæ ex indicata ratione utramque paginam hic absolvunt. Vasis cutaneis impacta hæret materia purpuracea. Hæc attenuanda, &, quoad licet, ad exitum præparanda. Verum usque tamen attenuari nequit, ut omnis per cutis spiracula exire possit, quæ sola subtiliora transmittunt. Crassior pars per urinæ vias derivanda & expellenda est. Hoc diuretica faciunt.

§. XXXIV.

Diuretica autem ea sunt medicamenta, quæ sanguinis fluxum ad renes magis quam ad alias corporis partes pellunt, nec sub hac efficacia multum vel in vasis vel in liquidis mutant. Ex diureticorum catalogo enim ea seligenda sunt, quæ leviter irritant, potenter tamen resolvunt, solutaque & ad se- & excretionem hanc præparata revulsionis beneficio sollicitant & determinant. Heic nitrum primum occupat locum, tanquam potentissimum resolvens & diureticum. Nec spernenda sunt reliqua salia media, in quorum tamen multitudine selectu opus est.

§. XXXV.

Salia, quæ alcalinæ indolis sunt, vix ac ne vix quidem, nisi in purpura chronica & acuta benigna, admittuntur, in maligna nunquam. Malignitatem illa augent, quia conceptum putredinis motum accelerant, fusumque jam hoc motu sanguinem celerius fundere juvant. Salia acida hic potius conducunt, utpote optima antiputredi-

 nosa,



nosa, quæ vero in purpura acuta benigna pessime darentur, quoniam jam spissa spissiora reddunt. Excipiendus tamen hic est ille casus, ubi nimium sulphur cholericum calorque febrilis id suaderet. Sed & tum parcius danda sunt acida.

§. XXXVI.

Nolo jam fusius recensere diuretica, quæ nobis vegetabile suppeditat regnum, utpote omnibus jam nota. Hoc unicum addo. Squilla in quacunque tutiori formula data omnibus efficacioribus diureticis hîc præferenda est. Visi sunt ejus effectus, qui omnem superarunt expectationem. Sed caute cum illa mercandum.

XXXVII.

Ex animali regno nulla habeo, quæ commendare possim, diuretica. Millepedibus alia tutiora quin plus efficacia minusque nauseosa substitui possunt. Sed quid de cantharidibus? Usus eorum internus dissuadendus omnino est. Deglutiti cantharides justo fortius agunt, & internas partes facile rodunt. Tutior est eorum usus externus in vesicatoriis. In his corrodunt cuticulam, viam ita sibi parant ad porulos cutis, per hos descendunt ad humorum massam, sic satis in ea diluti resolvunt, viis urinæ occurrentes has potenter quidem sed sine damno irritant, & fluxum lotii copiosiorem provocant. Annuit dictis experientia. In sensibilioribus enim subjectis & delicatulis mucilaginosis & emulsivis cavendum est, ne stranguria afficiantur. Quod enim per arrosam cutim effluit, parum est, nec tantam opem præstat, quanta ista vulgo putatur. Diureticæ vesicatoriorum efficaciæ & viscidi ab illis resolutioni

lutioni tribuendus est tantus effectus, quem si ob oculos habuissent Medici, in multis curationibus, purpuræ maxime, feliciores citius fuissent.

§. XXXVIII.

Sed frustra hæc omnia porriguntur, aut plane damnosa sunt sine diluentis liquidi copia. Quin haud incongrue dixerim, liquida largius epota efficacissima esse diuretica & diluentia.

§. XXXIX.

Sed viam & exitum non invenit fluidum etiam ad renes determinatum, nisi stricturæ in hac regione tollantur, partesque laxentur. Revulsioni itaque procurandæ addenda sunt emollientia, epispastica, clysmata, (per quæ unà alvus stricta tuto reseratur) aliaque relaxantia regioni lumbari & pubis applicata. Sic enim soluto spasmorum obice effluit per laxata vasa latex ille eliminandus.

§. XL.

De venæsectione, de antifebrilibus cum diureticis nonnunquam miscendis, de diæta & regimine convenient-te, de methodo plurimis aliis symptomatibus obviam eundi nil habeo, quod addam, qui, ut supra monui, non integram de purpura doctrinam scribere volui, sed tantum diureticam purpuræ applicandam methodum commendare institui, cum ista omnibus nota sint, & in omnibus legantur Medicorum scriptis.

§. XLI.

De purpura retrocedente tantum quædam monenda sunt. Ut camphora purpuram progignit, ubi sine hac miseri ægri febribus suis felicius liberari potuissent, ita funestus



ſtus ejus ibi uſus docet neceſſarium in hoc caſu uſum. Tum vero non unum alterumque granum reliquis immiſcere oportet, ſed ad 5. & in caſu neceſſitatis ad 10. uſque aſcendere licet. Sic enim capta una alterave doſi repullulant hæc exanthemata, poſtea miſſa camphora mitiori methodo & regimine tractanda.

§. XLII.

Nec hic plane præterire poſſum eorum opinionem, qui purpuræ retroceſſionem a quacunque revulſione metuunt, ideoque nec ſanguinis copiam excedentem detrahere, nec alvum ſuo officio immorigeram admonere audent. Quam inanis autem ſit eorum metus, ex IUNCKERI *Diſſertat. de purpura alba maligna & benigna an.* 1731. *Halæ Magdeb.* habita clare elucefcit. Inquit ille, *quodſi V. S. primo vel ſecundo die morbi, præcipue in ſubjectis plethoricis & adſuetis, inſtituatur, eximiam utilitatem illa comprobat. Eruptionem exanthematum facilitat, variaque ſontica ſymptomata avertit. Si vero purpura jam adeſt, cautius mercandum. Alvus autem diutius obſtructa reſeranda eſt per clyſmata emollientia, hæc enim non ſtimulant.*

Plura deſino, rogans æquiorum rerum medicarum judices, ut, quæ hic propoſui, æqui bonique conſulant, ſuisque monitis atque obſervationibus vel corrigant, vel corroborent augeantque. Eum in finem hæc ſcripta ſunt ab imbecillitatis ſuæ probe gnaro & ubique diſcendi cupido. Deus incolumes ſervet reddatque curæ noſtræ commiſſos, noſtraque iis inſerviendi ſtudia ad majus in dies evehat faſtigium.

